

1747, 8 20
55
FACVLTATIS IVRIDICÆ
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTO-
RIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, PRÆFA-
TÆ FACVLTATIS ASSESSOR SENIOR, PROFESSOR CO-
DICIS PVBL. ORDINARIVS, CIVITATIS SYNDICVS,
ET CONSVL PRIMARIVS,

AD
AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM

ad L. 11. ff. de test.

ET
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
AD DIEM, XIX. JVNII M DCC XLVII.

LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.

quædam de testibus.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,

Acad. Typogr.



INCVLTATIS PRAEDICAE

D. E. C. A. N. V. S.

CONR. WILHELMVS

STRECKER, J. C. T. U. S.

EMMENTHESI AC CESSIMI PRINCIPIS RECTO-
RIS MONTANI CONSILIARIUS REGIUM FRATA
RE FACULTATIS SENIOR PROFESSOR CO-
DICI PVBLI ORDINARIUS CIVITATIS SYNDICVS
ET CONSUL PRIMAIVS

AVDIENDAM LECTIIONEM CURSORIAM

AD D. N. R. DE V. S.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

AD DIEM XIX. JUNII MDCCLXXII.

LECTIIONEM BREVIOREM

DE MENTIS INVITATIONE

AVCTORE JOH. CHR. STRECKER

ERFORDIÆ

IN ACADEMIA CHRISTOPHORI HERINGII

Acad. Typogr.





Inter varias Probationum species non immeritò illa, quæ per testes fieri solet, primum sibi vindicat locum; siquidem vox viva validior, dignior ac firmitior, quàm mortua, quia anima organo vocis mentem suam explicat, & cor Imperator linguæ est, juxta illud: ex abundantia cordis os loquitur, & ipse vivæ vocis sonus fortius & efficacius promovet auditoris animum. *L. 1. C. de sent. ex peric. recisand.* Propterea viva testimonii dictio ab ipso statim creati mundi primordio pro certissima rerum dubiarum, aut confirmatione, aut decisione fuit habita, juxta illud tritissimum Divinæ vocis testimonium: in ore duorum vel trium stat omne verbum. Hinc testimonium judici in scriptis oblatum parum fidei habet, sed testis ad judicem vocatus viva voce coram ad interrogata respondeat necesse est, certiores enim reddimur vocibus, quàm literis, uti eleganter loquitur Summus Pontifex in *C. de Gradibus 33. qu. 8.* ibi: donec permittente Domino ore ad os loquimur. Quare Instrumentum à testibus nec examinatis, nec juratis, jamjam mortuis subscriptum enervatur per testes extraneos contra instrumentum deponentes, KÖNIG *ad jus Can. tit. de fid. Instrument. n. 59.* Ad testimonium autem dicendum invitì in regula coguntur omnes, repelluntur non pauci, quidam rogentur, necesse est. Compelluntur idèd, ne testes à testi-

monio proferendo, odio, gratia, vel timore se subtrahant, ne veritas occultetur, ne ob defectum testium pereat iustitia, & ne malus ut bonus aestimetur. *C. 1. Et fin. de test. cogend.* Cogit illos iudex ordinarius & delegatus, FARINAC. *qu. 78. n. 23.* non vero Arbitrator ob defectum jurisdictionis, cum solam facti notionem sibi commissam habeat. *L. 5. pr. ff. de R. jud.* Atque hoc eoque procedit, ut, licet quis jurasset, se nolle testimonium dicere, nihilominus tamen tale iuramentum, tanquam contra bonos mores praestitum, atque in praerudicium ac detrimentum Reipublicae tendens, non est obligatorium, sed multo magis impium ac temerarium, *Cap. 4. X. de test. cogend. GAIL. 1. O. 100.* nisi jurans facti notitiam acceperit sub sigillo & confidentia secreti, uti Medici, obstetrices, defensores delinquentium &c. vel si quis in delicti vel alterius secreti notitiam, modo illicito, v. g. literas alterius aperiendo, pervenerit, vel si ipsi testi, aut suis ex dicendo testimonio grave periculum immineat, hisce aliisque similibus casibus vi iuramenti ad testificandum nemo adigi poterit. vid. LAYMAN in *Theol. moral. lib. 4. tr. 6. c. 4.* Ab hac tamen coactione exempti sunt, quibus vinculum reverentiae, vel nexus propinquitatis obest, quo minus testimonium contra se invicem deponant, uti sunt Parentes & liberi, agnati, cognati, affines, maritus & uxor, ita quidem, ut parentes & liberi, uxor & maritus, ne volentes admittantur, excipiantur tamen causam matrimonialem, aetatis, consanguinitatis, imò etiam causam dotis; quamvis enim contradicat CARPZ. *Lib. 4. Resp. 24. n. 9. seqq.* qui Patrem in causa dotis pro filia a testimonio ferendo propter personarum unitatem repellit, contrarium

rium tamen ob favorem dotis ob Ordine nostro sæpius judicatum fuisse memini, plerumque si ob defectum aliorum testium veritas occulta aliter indagari aut haberi non potuerit, imò pleræque exemptæ & privilegiatæ personæ, si veritas aliter haberi non possit, ita publica utilitate exigente, & eruendæ veritatis favore, ad testificandum admittuntur, adèd ut etiam Clerici, licet ad testificandum in causis Laicorum nequeunt compelli, attamen deficientibus aliunde probationibus, cessante eorum privilegio, vel coram suo iudice Ecclesiastico, vel ex commissione ejus coram alio, etiam iudice sæculari, testificari cogantur. *Can. 2. caus. 14. qu. 2.* Repelluntur à testimonio dicendo omnes illi, qui ex causis, proprium commodum, vel eorum, qui illis juncti sunt vinculo aliquo affectionis, habent, vel habere possunt, vel ex quibus honos, laus vel vituperium in eos redundat. Hinc donator, licet de eviçione non teneatur, tamen propter affectionem ad pactum suum, quod valere cupit: Collator beneficii ob affectionem, quam habet, ut valeat, quod egit: Cedens jura sua in causa cessionarii: Proxeneta, qui fuit mediator & Conciliator contractus, propter præsumptam affectionem & commodum, quod exinde sperat: membra Universitatis, si causa singulorum commodum & utilitatem respicit, & plures alii, quos longo ordine recenset *MASCARD. de probar. Vol. 3. Concl. 1364.* à testimonio ferendo rejiciuntur, quamvis ratione harum aliarumque personarum arbitrium prudentis iudicis, qui consideret qualitatem & quantitatem affectionis & causas, in iis admittendis, vel rejiciendis, & quantam mereantur fidem, non excludatur. *ENGEL ad jus Can. tit. de test. n. 25.* Rogentur etiam quidam testes necesse est, & quidem in testamen-
to

co solemnī tam scripto, quā nūcupativo, non verò
in testamento Parentum inter liberos, ad pias causas,
& militari, utpote quæ testamenta non vitiantur ex de-
fectu solemnitatis; sufficit autem, ut talis rogatio fiat
vel ante vel post testamentum à testatore vel quocun-
que alio, patiente tamen & sciente testatore; Regulari-
ter illa rogatio non præsumitur, sed probanda, nisi te-
stes testamento, præsentē & approbante testatore, se
subscribant, vel quando in testamento hæc verba: te-
stibus rogatis: expressa sunt, nam ista verba enunciati-
va probant rogationem intervenisse. *MASCARD. de pro-
bat. Vol. 3. Conc. 1361.* Item si debitum solemniter in
scriptis contractum, solutio ejus non aliter, quā in
strumento vel quinque testibus probari debet, *L. 18. C.
de test.* qui testes, ut omni suspicione vacent, & ut me-
lius sciant, quid agatur, prius interpellatos, admonitos,
& rogatos esse oportet, unum alterumve casum, in
quo rogandi sunt testes adhuc recenset *BRUNNEM. in
Aurb. Rogati. C. de test.* de quibus fufius occasione *L. 11.
ff. de test.* publice ex cathedra discurret

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. EMANVEL BADER,

Qui primam aspexit lucem d. 16. Sept. 1721. Patre ga-
visus est Dn. JOANNE GEORGIO BADERO, Senatore &
Collegii, quod causas pupillorum & minorennium cu-
rarat, membro, 1739. defuncto, matre SOPHIA DORO-
THEA, nata *Hogelia*, 1732. jamdum extincta. Optimi
hi parentes nihil eorum intermiserunt, quæ ad bene
formandos liberos spectant, statim enim post nati-
vitatem illum sacro lavacro abluendum curarunt, adhi-
bito

bito Patrino Dn. ANTONIO EMANVELE HOGELIO, Civitatis hujus Voigteto & Poligrapho, in quo non solum patrinum, sed & patrem habuit, siquidem indefesa illius cura nunquam non in illo bene formando defuit. Ephebus factus scholam Prædicatorum frequentavit, & præter publicas lectiones, privata institutione Dn. M. MARTINI, qui adhuc hodie hanc scholam moderatur, usus est. Postea Gymnasium Senatorium, quod hic floret, frequentavit, ibidemque literas humaniores ulterius excoluit. 1739. Academiam hanc perantiquam adiit, atque Scholis Philosophicis Dn. M. JOANNIS ANDREÆ LOZZEN, Prædicatorum Pastoris meritissimi non solum interfuit, sed & lectiones Mathematicas a Dn. D. RIDELIO, & a Dn. M. ADELVNG institutas frequentavit, ac Historiarum monumenta sibi familiaria reddidit, præcunte Dn. D. RYMPELIO, Civit. Erford. Syndico, nec minus prælectionibus in institutiones juris, Viri Excellentiss. Dn. HIERON. FRIDER. SCHORCHII, Facult. Jur. Assess. & P. P. O. ac Civitatis Consulis Sen. interfuit. Doctrinis his innutritus 1741. post Festum Paschatos adiit celeberrimam Academiam Fridericianam, quam Hala Saxonum fovet, ibidemque denuo Institutiones & Jus Nat. audivit, prælegente ill. HEINECCIO & celeb. CARRACHIO, Pandectas, Jus Feudale & Canonicum, iteratis vicibus, nec non ea, quæ ad Praxin pertinent, docente perill. BOEHMERO, Jus publicum, explicante D. JOACHIMO, quibus peractis antequam patrios lares salutaret, Jenensem Academiam, per aliquot temporis spatium, visitavit. Tandem 1743. post Festum Michaelis redux factus, ea, quæ in celeberrimorum virorum scholis audiendo percepit, ruminando magis confirmare studuit. Ut autem
Bravium

10199
Bravium studiorum suorum reportaret, summos in utroque jure honores ambire secum constituit, & Ordini nostro literas supplices, propositum suum honestum proditurus, exhibuit, illi ipsi propterea gratulabundi annuimus, & juxta exigentiam statutorum rite adornandi examinis ergo, textus ex utroque jure Canonico & Civili communicavimus, quas dilucide & erudite enucleavit, & ad propositas quaestiones ita respondit, ut dignus judicaretur, non modò, quo in Candidatorum numerum reciperetur, sed etiam ad ulteriora publica specimina, pro voto suo obtinendo, solenniter instituenta admitteretur. Proinde crastina die Lunæ 19. Junii in auditorio juridico Collegii majoris è cathedra lectionem cursoriam ad supra cit. *L. ii. ff. de test.* eaque finitâ Dissertationem inauguralem

DE
QUALITATE TESTIVM AD PROBANDA CRIMINA PRODVCTORVM

habebit. Hisce autem actibus publicis, ut Magnus & Reverendissimus Universitatis Rector, Domini Proceres & Cives Academici frequentes interesse velint, officiosè rogantur, perhumaniter invitantur. Publ. sub Sigillo Facultatis Juridicæ d. 18. Jun. MDCCXLVII.




Erfurt, Diss., 1745-47

X 2386990

ULB Halle
007 650 40X

3







B.I.G.

Farbkarte #13

1747, 8
20
53

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTO-
RIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, PRÆFA-
TÆ FACULTATIS ASSESSOR SENIOR, PROFESSOR CO-
DICIS PVBL. ORDINARIVS, CIVITATIS SYNDICVS,
ET CONSVL PRIMARIVS,

AD
AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM

ad L. 11. ff. de test.

ET
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
AD DIEM, XIX. JVNII M DCC XLVII.

LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.

quædam de testibus.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

